EXPOSITIO BREVIS
GRAVAMINUM

Quæ

Mercatores & alii Regni Prussiæ Incolæ, in materiâ Commerciorum cum Regnô Poloniarum habent, & quorum abolitionem atque remedia ex humillimis præfatorum Mercatorum ac Incolarum querelis, propositionibus atq; supplicationibus,

SACRA REGIA MAJESTAS PRUSSIÆ,

CIRCA INSTANTEM UNIVERSALIUM REGNI COMITIORUM REASSUMPTIONEM,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATI

ET

SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ POLONIARUM,

Amicissimè non minus, quam instantissimè commendat.

ANNO MDCCXIX.

§. I.

Annus ferè eſt, ex quô Jus certum & indubitatum, quò *Sacra Regia Majeſtas Pruſſiæ*, Teloneorum per Majorem Poloniam, Lithuaniam, & Pruſſiam Occidentalem, verſus Regnum Pruſſiæ, noviter hucusque aut introductorum aut auctorum, plenariam vigore pactorum abrogationem, Jure optimô Maximô poſtulat, ſuccinctâ delineatione expoſitum fuit.

Inſtabant tunc temporis Grodnæ, Univerſalia Regni Poloniarum Comitia; in quibus Juſtiſſimam hanc *Sacræ Regiæ Majeſtatis Pruſſiæ*, circa Manutenentiam Pactorum Publicorum intentionem, per realem eamque perpetuam Teloneorum ejusmodi abrogationem, *à Sacrâ Regiâ Majeſtate, & Sereniſſimâ Republicâ Poloniarum*, in ſtabilimentum tantò firmius optimæ, quæ hactenus inter *Utriusque Regiam Majeſtatem, Utriusque item Regna* & Provincias viguit amicitiæ, ex votô, cum ſummô utrinque Commerciorum incrementô, promotum iri, certò certius ſperabatur;

Nec irrita fuiſſet ſpes ea, ſi inchoata initiô Octobris a.p. Grodnenſia Comitia plenè & perfectè finiri contigiſſet, neque interveniens magni momenti impedimentum ſuſpenſionem & limitationem eorum, quoad impedimentum tolleretur, ut poſteà Comitia iſta, à quibus Salus Regni Poloniarum pendet, eò commodius reaſſumi, tantoque felicius concludi poſſint, neceſſitate quaſi inevitabili poſtulaſſet.

Æquis-

Æquissimè hoc agnovit *Sacra Regia Majestas Prussiæ*, ac ex singulari, quam erga *Sacram Regiam Majestatem & Serenissimam Rempublicam Poloniarum* constanter fovet, propensione, totô hôc limitationis Comitiorum interstitiô, iterata justissimorum de abrogandis noviter introductis vel auctis teloneis postulatorum repetitione gravis *Eis* esse noluit, sed tempus reassumendorum Comitiorum, quamvis non cum levi, ut Commerciorum incommodô, sic subditorum, mercatorum præcipue jacturâ & damnô, toleranter hucusque expectavit. Cum itaque reassumptio ista in instanti esse dicatur, *Sacra Regia Majestas Prussiæ* diutius sibi deesse, & Jus, quod vigore Pactorum competit, negligere, nec potuit, nec debuit, sed urgentissimè hactenus per tot annos efflagitatam novorum Teloneorum eorumque augmentorum plenariam abolitionem, ut in proximè reassumendis Universalibus Regni Poloniarum Comitiis, ex præscriptô Pactorum Publicorum, executioni tandem mandetur, non minus peramicè, quam instantissimè, ad præfatam desuper delineationem brevibus se referendo, *Sacræ Regiæ Majestati & Serenissimæ Reipublicæ Poloniarum*, iterum iterumq; commendat.

§. II.

Ne verò quicquam inposterum ullô modô & tempore commovere, nedum alterare possit, sinceram & infucatam *Sacræ Regiæ Majestatis Prussiæ*, cum *Sacrâ Regiâ Majestate*, & *Serenissimâ Republicâ Poloniarum* amicitiam, quam *Sacra Regia Majestas Prussiæ*, æternam esse, & inconcussam ad Posteros in infinitum transmitti, ut ex totô corde desiderat, sic quan-

quantum in Ipsâ eſt, religioſisſimè & indefeſsè allaborabit: ſumme neceſſarium duxit, ea quoque Gravamina ſuccinctè exponere, quœ ad Ipſam, à Mercatoribus Regiomontanis, aliisq; Regni Prusſiæ Incolis, nuper tantum delata fuerunt, ut tantô evidentius cognoſcat *Sacra Regia Majeſtas*, & *Sereniſſima Reſpublica Poloniarum*, quàm inique hactenùs cum Regnô Prusſiæ, contra apertum Pactorum tenorem actum ſit, & quantùm exindè detrimenti, tam Commercia Regni Prusſiæ, quàm Teloneorum *Sacræ Regiæ Majeſtatis Pruſſiæ* Regalia, per tot jam annos paſſa fuerint, idque ex ſolâ quorundam intereſſatorum privatâ Contraventione, citra omnem *Sacræ Regiæ Majeſtatis & Sereniſſimæ Reipublicæ Poloniarum* approbationem & culpam; undè tantò magis *Sacram Regiam Majeſtatem Pruſſiæ*, ſpes certisſima & indubitata fovet, Gravamina hæc omnia & ſingula, eò citius & plenius, in inſtanti Univerſalium Regni Poloniarum Comitiorum reaſſumptione & abolitum & ne quisquam inpoſterum, ut hactenus proh dolor, idque utplurimum propter merum Intereſſe privatum, ſæpisſimè fieri contigit, Pacta Publica ex quocunque prætextu infringere, aut ſub gravisſimâ Contravenientium pœnâ, temerare audeat, in ſanctiorem Communis Utrinque amicitiæ, & perfectisſimæ intelligentiæ obſervantiam, firmisſimè atque in perpetuum decretum iri.

§. III.

Sex nimirum ponderoſisſima Gravamina *Sacræ Regiæ Majeſtati Pruſſiæ*, Regni Ejus Mercatores & Incolæ, ſupplicibus libellis humillimè expoſuerunt; inter quæ primum, noviter introducta vel aucta Te-

Telonea concernit; quorum plenaria abrogatio, cum superius jam, ad instantem Universalium Regni Comitiorum reassumptionem, *Sacræ Regiæ Majestati* & *Serenissimæ Reipublicæ Poloniarum* commendata fuerit, eò per generalia super hôc primô gravamine, (repetendo, quæ desuper in succinctâ anni præteriti delineatione continentur) denuò se referre, & necessarium & satis erit. Grav. I.

§. IV.

Ipsum quoque Gravamen secundum de Teloneis est, & modum afficit, quô ubivis locorum, per Regnum Poloniarum, Theloneorum Præfecti, Arendatores, Scribæ, & Visitatores, eorumque Asseclæ, in Cameris teloneariis, à Mercatoribus & Incolis Regni Prussiæ vectigalia his temporibus exigunt, eos non tantum, ut ibi per aliquot dies, imò per integras septimanas & ultra, citra omnem Causam & necessitatem commorentur, sub prætextu absentiæ officialium, & aliis ejusmodi affectatis excusationibus, cum irreparabili temporis, opportunæ negotiationis, & sumptuum Jacturâ, multum interim decrescente mercium haud raro æstimatione, ac, (in summum, cum eô casu minora, ad Majorum exonerationem, non sine gravibus expensis conducere oporteat navigia ipsius navigationis incommodum) aquâ & defluitatione, iniquissimè cogendo, sed ab iis etiam, præter jam exsoluta vectigalia, pro desuper obtinendis, & carissimô pretiô redimendis necessariis Apochis atque Quietantiis (Quitowe Polonicô idiomate dictis) diversi generis Xenia, Donaria, ac injustissimas superexactiones, quæ summam ipsorum vectigalium Grav. II.

 galium

galium utplurimum tranſcendunt, contra Jus & fas (cum circa ſolutionem antiquorum Teloneorum, omnia Gravamina atque impedimenta, & quæcunque cenſuationes, exactiones ac Angariæ Mercatorum Pruſſiæ, in Pactis Pacis perpetuæ, inter alia de annô 1436. 1466., & 1529. expreſsè prohibeantur) per vim quaſi extorquendo, acſi in duriſſimam Mercatorum & negotia exercentium Regni Pruſſiæ Incolarum oppreſſionem, ac interſceninam eorum ruinam, Telonearii Regni Poloniarum, eorumque Officiales ferè non omnes amicè conſpiraſſent, &, ne quisquam Mercatorum, aut cuicunque negotiationi addictorum Regni Pruſſiæ Incolarum, aliquid per Regnum Poloniarum lucri habere poſſit, ſed cum apertiſſimô rerum ſuarum damnô eò ſemper veniat, legem velut ſæviſſimam promiſcuè ſibi ſtatuiſſent; nullô aliô fine, quam ut omnia tandem Regni Pruſſiæ, cum Regnô Poloniarum Commercia in totum ceſſent & omnimodè intercidant.

Vid. Corpus Actor. Publ. Pruſſiæ, fol. 10. fac. 1. fol. 11. fac. 1. fol. 24. fac. 2. & fol. 35. fac. 2. in fine.

§. V.

Grav. III.

Eos porrò Gravamen tertium tangit, à quibus hactenus Wilnæ, Caunæ, ac in diverſis aliis Regni Poloniarum, atque eò pertinentium Dominiorum Civitatibus, ſummô ubique conamine id actum fuit, ut Regiomontanis & cœteris Regni Pruſſiæ Mercatoribus aut Incolis, merces ſuas peculiaribus, eô fine conductis ædibus, granariis, tectis aut cameris inferre, venum in illis exponere, & ibi degentibus aliis Mercatoribus divendere, conclavia item mercantilia, rationaria & diribitoria (quæ vulgò gallicô vocabulô *Contoirs* appellan-

lantur) inque illis Institores & Calculatores suos (quos Kauff-Diener/ Contoir-Knechte/ und Buchhalter/ nostrates Mercatores vocare solent) liberè de annô in annum, ut olim Juris, morisque fuit, omni tempore habere, ac à Magnatibus & Nobilibus Regni Poloniarum, merces quascunque immediatè coëmere quovis modô inhiberetur.

§. VI.

Contradicunt verò ejusmodi ausibus evidentissimè Pacta Publica; sic enim eâ de re (ut ex genuinis, per Acta Publica definitis Principiis, rem ab origine repetendo, negotium hoc eruatur & deducatur) prima, quæ exstant, inter Poloniæ Regem Vladislaum Jagellonis, Magnum item Ducem Lithuaniæ Sigismundum, & Magistrum Prussiæ Generalem, Paulum de Rusdorff, in Brzescie Cujaviæ annô 1436., Sabbathô in vigilia Circumcisionis Domini, inviolabiliter inita Pacta Perpetua, expressè statuunt:

Item liber sit transitus, & via omnibus Mercatoribus ac Incolis Terrarum & Dominiorum Ordinis, cum suis mercantiis, frumentis, cujuscunque grani, & rebus quibuscunque & cujuscunque conditionis, vel materiei existant, sine impedimentô vel Angariâ, per terras & maria, aquas & flumina, quocunque ascendendo, in & ad Regnum Poloniæ, Terras Lithuaniæ, Samogitarum, Masoviæ & Russiæ, & descendendo per ipsum Regnum atque Terras prædictas, ac per ipsa flumina seu aquas usque ad maria & trans mare in navibus parvis sive magnis, vacuis sive oneratis, in perpetuum quomodocunque voluerint, absque aliquô arrestô vel impedimentô cujuscunque, & specialiter oppidanorum in Thorun; *Quas quidem merces, frumenta & res, ut præscriptum est, si præfati Mercatores, vel Incolæ Ordinis ducentes, vendere, aut stare in aliquô locorum seu Civitatum, ad portum sive ripam prædictam aquarum sive maris situatorum seu situatarum voluerint, est & debet esse in ipsorum voluntate.*

Vid. Corp. Act. Publ. Prussiæ fol. 11. fac. 1.

Si

Si verò vendere noluerint, poſſunt absque omni impedimentô ire ſeu aſcendere vel deſcendere, quo eis placuerit, cum rebus prædictis ut ſuperius eſt expreſſum.

§. VII.

Longè clarius adhuc Jus iſtud Mercatorum & Incolarum Pruſſiæ, libere in Regno Poloniarum, inque Civitatibus & locis eò pertinentibus, Commercia quæcunque exercendi, Privilegium Terrarum Pruſſiæ, Incolis earum anno 1454. feriâ quartâ cinerum, à D. Caſimiro Poloniæ Rege conceſſum definivit & determinavit ſequentibus, luce meridianâ clarioribus verbis;

Vid. Corpus Actor: Publ. Pruſſiæ, fol 16. fac. 1. circa finem.

Item Mercatoribus Terrarum prædictarum Pruſſiæ, in Regnum, Ducatus & Dominia noſtra venientibus, hanc libertatem & prærogativam, *de cæterô volumus conſervari, ut quoties illos in quæcunque loca, Civitates & Oppida Regni & Dominiorum Noſtrorum venire cum mercibus eorum, cujuscunque ſpeciei vel materiæ exiſtant, contigerit, licitum erit eis hujusmodi merces, NB. in loca, teſtudines, Cameras & tecta, quorum illis libera præſtari debet arendatio, deponere, & pro ſuô arbitriô NB. exponere in venalitatem*, per vias ſtratasque omnes, verſus Ungariam, Ruſſiam, Moraviam, Wallachiam; depoſitis tamen teloneis & ſtratis antiquis Civitatum Regni & Dominiorum Noſtrorum ſemper ſalvis.

§. VIII.

Neque verò hæc Mercatorum & Incolarum Pruſſiæ, in terris & Civitatibus Regni Poloniarum negotiandi libertas & ſecuritas, per Pacta ſequentium annorum & ſeculorum, vel aliquo modo imminuta & reſtricta, vel tantò minus in totum abrogata, ſed denuò potius confirmata fuit, non tantum in conditionibus Pacis perpetuæ, inter Poloniæ Regem Caſimirum, & Generalem Or-

Ordinis Teutonici Magiſtrum, Ludovicum ab Erlichauſen, die ſolis 19. Octobris, anno 1466. in Thorun., & à Rege Poloniæ Sigiſmundo Primô, cum Pruſſiæ Duce Alberto, Marchione Brandenburgenſi, anno 1525., Sabbatho in vigilia Palmarum, Cracoviæ confectæ & concluſæ, verbis generalibus:

Quod omnes Mercatores, tam Regni Poloniarum ac Epiſcopatus, Capitulique Varmienſis, quam Terrarum Pruſſiæ in ditione Magiſtri & Ordinis conſiſtentes, ubique in Terris & in aquis, tuti & ſecuri eſſe, nec ullæ illis moleſtiæ inferri, ſed ipſi & omnes Incolæ Terrarum Pruſſiæ, utrinque reciprocâ viciſſitudine, in terrâ & mari, ſine impedimentô negotiationes exercere debeant:

Vid. Corpus Act. Publ. Pruſſiæ, fol. 24. fac. 2. ab initiô, & fol. 35. fac. 1. circa finem.

verum etiam in ſpecie, per renovationem Pacis Perpetuæ, Ejusdem Regis Sigiſmundi I., Ejusque Filii, Principis tum temporis & Magni Lithuaniæ Ducis, poſt Poloniarum quoque Regis Sigiſmundi Auguſti, cum ſupra laudato Marchione Brandenburgenſi, Alberto Duce Pruſſiæ, Wilnæ anno 1529., die 21. Junii initum & per noviſſima, anno 1657. die 19. Septembris Welaviæ confecta, Brombergæ verò ſive Büdgoſtiæ, eodem anno 1657. die 6. Novembris, ſolenni ratificatione repetita atque promulgata Pacta Perpetua; quorum utrinque deſuper decreta ſanctio, in Renovatione quidem Pacis Perpetuæ, de anno 1529., ſequentis tenoris eſt:

Item liber ſit tranſitus & via omnibus Mercatoribus & Incolis Terrarum ac Dominiorum Ordinum, ſcilicet Domini Ducis Pruſſiæ, cum ſuis mercantiis & frumentis cujuſcunque grani, & rebus quibuſcunque & cujuſcunque Conditionis vel materiei exiſtant, ſine impedimentô, & Angaria per Terras, Maria, aquas & flumina quocunque aſcendendo, in & ad Regnum Poloniæ, Terras Lithuaniæ & Samogitiarum, ac deſcendendo per

Vid. Corp. Act. Publ. Pruſſiæ, fol. 41. fac. 2. ab initiô.

Terras Nostras, ac per ipsa flumina & aquas, usque ad Ducatum Prussiæ in navibus vacuis seu oneratis, magnis sive parvis in perpetuum, quocunque & quotiescunque voluerint, absque aliquô arrestô vel impedimentô cujuscunque, hôc tamen cautô, ne nova itinera, aut viarum diverticula quærant, & ut, si aliquæ novæ viæ quæsitæ essent, utrinque abrogentur & cessent; quæ sanciuntur propter coërcenda homicidia, latrocinia, furta & rapinas, & ne Telonea antiqua utrinque defraudentur. *Quas quidem merces, frumenta & res, ut præscriptum est, si præfati mercatores, seu Incolæ Terræ Prußiæ eas ducentes vendere, aut stare in aliquô locorum seu Civitatum solitorum & solitarum, ad portum seu ripam prædictarum aquarum, sive maris situatorum vel situatarum voluerint, est & debet esse in ipsorum arbitriô & voluntate.* Si verò vendere noluerint, possint absque omni impedimentô ire, seu ascendere, seu descendere, quò eis placuerit, cum rebus prædictis, ut superius est expressum; Teloneis & depositis, similiter usibus & consvetudinibus antiquis ut infra salvis.

Pacta verò Velavio-Brombergensia, sive Büdgostiensia, sequentem in modum eâ de re disponunt:

Vid. Instrum. Pacis Welavio-Brombergensis sive Bydgostiensis art. 17.

Commercia inter Regni Poloniæ, Magni Ducatus Lithuaniæ & Ducatus Prußiæ Incolas libera erunt ac secura.

§. IX.

Vid. Corp. Actor. Publ. Pruss. fol. 12. [illegible]

Quæ verò unquam libertas aut securitas, ut commerciorum, ita mercatorum & negotiationem quovis modo exercentium Regni Prussiæ Incolarum, ibi ullâ ratione sperari potest, ubi non tantum ipsa telonea & vectigalia, contra aperta, toties iterata, & solennibus Juramentis confirmata Pacta Perpetua, ad solum Illustrissimorum Dominorum Thesaurariorum nutum, nihil quicquam obstante Illustrissimorum quorundam è Serenissimâ Republica Magnatum in

in Pactis Conventis fundatâ Contradictione, sub diversis titulis, in dies ferè multiplicantur ac augentur, sed quarumcunque in Poloniarum Regno Urbium Civibus, sub affectatis inter alia, novorum depositorum, & incompetentis Juris Stapulæ prætextibus, imò ipsis Teloneorum Præfectis, Arendatoribus, Visitatoribus, scribis, aliisque Officialibus, ac eorum Asseclis, in Regni Prussiæ Mercatores & Negotiatores, eos ultrà tempus, quoad nimirum horum depeculatorum, Judæorum præsertim avaritiæ satisfiat, nequissimè detinendo, & iniquissimis superexactionibus, sine omni commiseratione, acerbissimè vexando, quidvis proh dolor, sine omni hactenus remissione & medelâ licuit. Apud Romanos certè, quicquid ultra debitum fuisset elicitum, ab Exactoribus, in duplum eruebatur, & protinus restitui oportebat; Si quis autem Exactorum in Superexactionis Crimine fuisset confutatus, ejus cupiditas capitali supplicio, ut prohibebatur, ita si in iisdem sceleribus perseverasset, amovebatur.

Vid. lex und. Cod. de Superexactionibus.

Quomodo itaque super adeò gravissimis, per tot jam annos, in Mercatores & alios Regni Prussiæ Incolas continuè ferè exercitis superexactionibus, aliisque vexationibus & apertissimis Pactorum Publicorum Contraventionibus, non Mercatoribus tantum, & ad quos ratione damni ea res pertinet, sed Ipsi etiam *Sacræ Regiæ Majestati Prussiæ* satisfiet, cum Ejus potissimum sit, quamcunque Perpetuorum Pactorum violationem, ne tamen propterea pax ipsa irritetur,

tetur, ſed ut ea nihilominus religioſiſſimè conſervetur, per legitimos ex Pactorum præſcriptô tramites, & conſtanter repellere, & juſtam deſuper vindictam, apud *Sacram Regiam Majeſtatem*, atque *Sereniſſimam Rempublicam Poloniarum*, in tantò firmius communis utrinque unionis robur, ſummâ cum providentiâ urgere; Ipſis hâc de re Pactis ſequentem in modum diſponentibus:

Vid. Corp. Act. Publ. Pruſſ. fol. 10. fac. 2. fol. 25. fac. 1. & fol. 42. fac. 2. in fine.

Item ſi per aliquem paci perpetuæ foret in aliquo derogatum & contraventum, propterea prædicta pax & unio caſſari & irritari non debebit, ſed in ſuâ firmitate permanebit; delinquentes autem pro ipſorum Exceſſibus judicialiter punientur, ac ad ſatisfactionem plenam & debitam compellentur.

§. X.

Innumera equidem evidentium ejusmodi contra Pacta infractionum Exempla, à Regiomontanis aliisque Regni Pruſſiæ Mercatoribus & Incolis allegantur; Ex iis tamen, brevitatis ſtudiô, aliqua duntaxat commemorare, quæ Ipſi *Sacræ Regiæ Majeſtati* & *Sereniſſimæ Reipublicæ Poloniarum* non ignota ſunt, ſufficere in tantum poterit.

Ante annos videlicet ferè non triginta, ſpectabili Joanni Valeriano Hörnig, Civi & Mercatori Regiomontano, Caunenſis Civitas, granaria per vim effringendo, & temerario auſu merces ipſius in illis depoſitas auferendo, ſummam injuriam & maximum damnum intulit; quæ res licet jam ſub beatô Rege Joanne III. glorioſæ memoriæ, per varia Decreta, juxta tenorem Pactorum & Juris, in favorem præfati Hörnig,

Hörnig, quamvis cum gravisſimis expenſis feliciter terminata , & usque ad Executionem, imo Bannitionem, proceſſu moleſtisſimo pariter ac ſumptuoſisſimo perducta fuiſſet, non erubuerunt tamen Caunenſes decretæ *à Sacrâ Regiâ Majeſtate Poloniarum* Executioni, apertè ſe opponere, & tanto jam temporis ſpatio, ut Regia, in Poloniâ publicata, & toties quoties confirmata Decreta, inaudito conamine irrita reddere, ſic ſanctisſimæ in Regno Poloniarum Juris & Juſtitiæ adminiſtrationi pertinaciter usque in præſentem diem reluctari, & omnia deſuper emiſſa Judicata perfrictâ fronte eludere. Nec eo contenti, cum arreſtati hâc de causâ, vi præfatorum *Sacræ Regiæ Majeſtatis Poloniæ* Decretorum, Regiomonti ante aliquot annos cum mercibus ſuis ſubſiſtentes Caunenſes tum temporis Cives, inter alios ſpectabiles Hoffmanni fratres & Fahrenheit, Cautionem pro Civitate Caunenſi interpoſuiſſent, ſatisfacere tamen prædictis Decretis & Executorialibus Caunenſes ineffabili contumaciâ eousque hactenus & detrectarunt & ſuperſederunt, ut vigore allegatæ cautionis Hæredes ſupra-nominatorum Fidejuſſorum Regiomonti degentes, inſtante ſpectabili Hörnig, ad ſaccum jam quaſi & peram excutere neceſſe, nec tamen hucusque ſpectabili Hörnig plenaria ſolutio facta, à Caunenſibus vero, de juſtâ in gratiam horum Fidejuſſorum, eorumque hæredum ſatisfactione, nec minimum hactenus cogitatum fuerit. Quinimo ut eluſio Juſtitiæ tanto gravior , à parte

ipſorum evaderet, toto hoc tempore, merces ſuas ſub ementitis aliorum Mercatorum Magni Ducatus Lithuaniæ nominibus & titulis, aut variè emendicatâ Nobilium ibidem protectione, Regiomontum & in alia Regni Pruſſiæ loca, partim terrâ deduxerunt, partim aquâ defluitarunt; quæ res ut diverſis, commerciorum promotioni maximè incommodis & noxiis litibus, arreſtis & proceſſibus occaſionem hactenus præbuit, ita perfectæ ſpectabilis Hörnigs, & qui ipſi Cautionem ſuam pro Caunenſibus interpoſuerunt, Fidejuſſorum eorumque Hæredum, ex regreſſu deſuper competente & reſervatô, debitæ Satisfactionis ſpem omnem, niſi ulterioribus ejusmodi, iisque iniquiſſimis & impudentiſſimis Juris eluſionibus, æquiſſimus *Sacræ Regiæ Majeſtatis & Sereniſſimæ Reipublicæ Poloniarum*, pro adminiſtratione Juſtitiæ & Decretorum executione promovendâ fervor, religioſiſſimo tandem Zelo obicem ponat, in infinitum quaſi excludit, aliis verò ejusdem audaciæ hominibus, ſimilia citra omnem metum inpoſterum audendi, latiſſimum campum aperit.

§. XI.

Vid. Corp. Act. Publ. Pruſſiæ fol. 10. fac. 2. fol. 25. fac. 1. & fol. 42. fac. 1. & 2. ab initio.

Longè aliter verò, hâc de re Pacta Publica ſtatuunt, expreſsè ſanciendo:

Si aliquis de terris Regni, Magni Ducatus, & reliquorum Dominiorum, ſubditis Pruſſiæ injuriam intulerit, & Paci perpetuæ per ſpolia, rapinas, aut aliqua maleficiorum genera contra-

vene-

venerit , tunc ejusmodi malefactores, pro ipsorum excessibus, per Capitaneos & Officiales judicialiter puniri atque ad satisfactionem plenam & debitam compelli, si verò Officialis desuper requisitus, Justitiam non fecerit, pro negligentiâ ejusmodi, eum extunc ab officio deponi, & nihilominus successorem Justitiam expeditam requirenti administrare debere.

Quæ cum adeò severè, per Pacta in Capitaneos tantum, aliosque Officiales, Justitiam ad debitam requisitionem non exercentes, decreta fuerint, in manifestos refractarios, qui *Sacræ Regiæ Majestatis Poloniarum* sanctissima Decreta apertè eludere, eorumque Executioni nefariè se opponere non erubescunt, ut Pacta, Jus & Justitia, item Regia Decreta, imò Ipsa *Sacræ Regiæ Poloniarum Majestatis* Authoritas, dignè tandem in terrorem aliorum vindicentur, vix amplius satis graviter animadverti poterit.

§. XII.

Jam enim vestigia Caunensium adeò injusta plures jam in Magno Ducatu Lithuaniæ, quasi re benè gestâ, summâ cum licentiâ premere, non tantum meditati, sed iniquissime etiam ausi fuerunt.

Anno siquidem 1715., cum spectabilis Joannes Köster, Civis itidem & Mercator Regiomontanus pannorum, telæ lineæ Silesiacæ, aliasque varias merces, per Judæum Meyer Jacobowitz Schlovam misisset, merces istæ, ab Oeconomô

ejus

ejus loci arreſtô ſtatim oneratæ, poſteà verò arci ibidem illatæ fuerunt. Et quamvis Illuſtriſſimus Dominus Comes Oginski, Palatinus tum temporis Trocenſis, juſtè deſuper requiſitus, reſtitutionem mercium extemplo juſſiſſet, eluſit tamen Decretum hoc æquiſſimum, ſatis imperiosè Monaſterium Schovenſe, dum ex arce remiſſas merces, propriâ authoritate, ſub nullô aliô prætextu, quam quod Wilnenſes Regiomontanis, & aliis Regni Pruſſiæ Mercatoribus, commercia ejusmodi permittere nolunt, ad ſe deferri fecit, nec niſi poſt exſolutos aliquot centum florenos, reddidit; ſuper qua remora & vexa, præfatus Köſter & pecuniæ (ſumptibus deſuper erogatis, ultrò duo millia florenorum aſcendentibus) & temporis evidentem eamque ſatis magnam jacturam paſſus eſt.

§. XIII.

Conqueruntur quoque ſpectabiles Antonius Joannes Awel & Adolphus Saturgus, uterq; Civis & Mercator Regiomontanus, ille quidem Wilnæ, coëmta ea in Civitate argentea quædam, ſatis jam attrita vaſcula, quorum aliàs evectio liberè ibi permittitur, ipſi ſub nomine mercium contrabandæ, acſi deſuper in commiſſum incidiſſet, ablata fuiſſe: hic verò ob coëmtas Wilnæ, & inde Regiomontum avectas merces pelliceas, ſex armatos equites, Wilna ipſi immiſſos, in viâ publicâ eum detinuiſſe, & merces ad unum omnes, non ſine gravi damnô atq; ſumptuum erogatione, temporis item Jacturâ præ-

præcipitanter excussisse, modoque planè indignissimô, & ferè non violentô, cum summâ præfati Saturgi injuriâ inquisivisse, annon in vicem pellicearum ejusmodi mercium, alias Wilnam posteà inferendas, quasi hæc libertas Regiomontanis Mercatoribus non competeret, Regiomonto advexisset.

§. XIV.

Quid quod hôc tantum annô, Nobili Valentino Polickein in Commerciorum Collegio & Senatu Civitatis Cniphoffianæ Consiliario, celebri itidem in Urbe Regiomontanâ Mercatori, cum Wilnam ad urgendam nominum, quibus ei Cives istius loci, per aliquot jam annos obstricti sunt, debitam solutionem, & ad divendendas quoque merces nonnullas, quas advehi ex ipsis mercatoribus Wilnensibus sat multi petierant, filium misisset, adeò dira injuria à Wilnensibus Mercatoribus sexta Januarii illata fuit, ut non tantum Cameræ, atq; Contignationi, quam præfati Consiliarii Polickein filius pro se & mercibus conduxerat, sine omni prævià notificatione, citatione, & tantò magis sententiâ, cum aliquot Magistratus ibidem Deputatis, coadunata & stipata hominum armatorum manus immissa, sed etiam cum summâ vociferatione, adjunctis insuper minis atrocissimis, postulatum ab eò fuerit, ut fornices & cistæ recluderentur, merces item omnes, tanquam prohibitæ, & proptereà caducæ Fisco extraderentur, & mulcta gravissima solveretur, in futurum verò plenaria ulterioris eô negotiationis, imò, quod horrendum dictu, omnimoda ipsius Civitatis prohibitio incontinenti fieret.

§. XV.

Idem ibidem Urbis Regiomontanæ ſpectabilium Mercatorum, Michaelis Kindleri, Adolphi Saturgi, Grünenbergii, Awelli & Pöppingii, ſimili planè de causâ eò miſſis Inſtitoribus & Rationariis, eodem tempore obtigit, & eundem plane in modum, cum ipſis actum fuit, intentata deſuper omnibus & ſingulis executione non aliâ ratione impedita & eliſa, quam ad inſtantiſſimam maximeReverendorum Dominorum Patrum Dominicanorum interceſſionem, per æquiſſimum Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi de Ancuta, Wilnenſis Suffraganei interdictum, obſignatis eô fine ad ipſius mandatum à præfatis maximè Reverendis Dominis Patribus Dominicanis, cum appoſitô intereſſatorum ex Regiô Monte Mercatorum Sigillo, fornicibus quæſtionis, tanquam in fundô prædictorum Dominorum Patrum ſitis, & Ipſorum Conventui propriis. Nec tamen propterea Wilnenſium in Regiomontanos Mercatores vexæ ceſſarunt; Quin potius ſequenti die Regiomontani à Wilnenſibus in curiam, & undecimâ Januarii ad Excellentiſſimum Palatinum Wilnenſem, Illuſtriſſimum Dominum Comitem de Sapieha evocati fuerunt, Wilnenſibus utrobique ſeveriſſime urgentibus, ut Regiomontanis Mercatoribus ex Civitate confeſtim diſcedendi neceſſitas injungeretur, & omnis inpoſterum Wilnæ negotiatio prohiberetur, eorum verò merces & bona propter exercitum incompetens commercium, Jure Caduci auferrentur. Reſponſum quidem à Regiomontanis Mercatoribus fuit, Wilnæ

eos

eos debitorum causâ esse, nec antequam exsolvantur, discedere inde posse, sed potius indilatam desuper Justitiæ administrationem, accuratam debitorum specificationem ad Acta publica dando, vi Pactorum petere, Commercia quoque hactenus exercita, in Pactis fundari & propterea Jure optimo maximô competere;

Hoc tamen non obstante, in mulctam 2500. Tympforum, sive 1200. Florenorum Prutenicalium, quorum dimidiam partem, Judicio Castrensi Illustrissimi Domini Palatini, dimidiam Curiæ Wilnensi, sententia desuper pronunciata adjudicavit, præter spem & opinionem condemnati fuerunt. Et quamvis executionem hujus sententiæ, ad varias desuper factas intercessiones, in gratiam *Sacræ Regiæ Majestatis Prussiæ*, Illustrissimum ejus loci Tribunal, in tantùm hactenus distulerit, super dimidietate tamen mulctæ, præfatos Mercatorum Regiomontanorum Institores, ut libere tantùm recedere possent, non sine gravi sumptu, transigere tandem oportuit.

§. XVI.

Hæcne ergò est singularis ista libertas, quam *Sacratissimi gloriosæ memoriæ Reges Poloniarum*, Mercatoribus ac Incolis Ducatus & Regni Prussiæ specialibus Pactis, per tot retro secula, continuâ quasi serie adeò religiosè confirmarunt & jurarunt, ut nihil clarius & sanctius dici vel concludi unquam possit?

Vid. Corp. Act. Publ. Prussiæ fol. 11. fac. 1. ab initiô. fol. 16. fac. 1. circa finem, & fol. 41. fac. 1. ab initiô.

Hicne est liberrimus omnibus Terrarum Prussiæ Mercatoribus & Incolis, cum suis Mercantiis & rebus quibuscunque, per Regnum Poloniæ, Terras Lithuaniæ, Samogitiarum, Masoviæ & Russiæ, terrâ & aquâ ascendendo vel descendendo, sine omni impedimentô molestia & Angariâ, in Pactis ad unum omnibus, non simpliciter tantum promissus, sed juramenti etiam sacramento in æternum firmatus ac eousque cum amplissimô laxamentô adscriptus & stabilitus Transitus, ut ipsis simul, extra punctum antiquorum Teloneorum & Depositorum, atque veterum stratarum, plenissima & illimitata concessa fuerit licentia, cum mercibus suis aut alio, prout libuerit discedendi, aut in aliquô locorum seu Civitatum ad portum seu ripam maris & aquarum situatarum, pro arbitriô non tantum standi, mercesque suas cujuscunque speciei vel materiæ existant vendendi, sed Cameras etiam, Testudines, tecta, aut alia loca eô fine conducendi, mercesque prædictas, pro voluntate ut illis inferendi, ita in eis ad venalitatem exponendi?

§. XVII.

Nullône alio fine sequentibus temporibus *Sacræ Regiæ Majestatis & Serenissimæ Reipublicæ Poloniarum, gloriosæ ac inclytæ memoriæ Prædecessores*, Regiomontanæ Urbi, aliisque Prussiæ Civitatibus Jura, libertates, Immunitates, prærogativas, consuetudines, & quæcunque Jura, tam ab antiquô juste & legitime a Poloniæ Regibus concessa, quam in quorum usu & possessione hactenus fuissent, per

omnia,

omnia, tam in genere, quam in ſpecie quoad NB. Emporia, depoſitoria, portus & commercia &c. ſalva atque integra perpetuò eſſe, nec novis impoſitionibus ac oneribus gravari, aut ullâ re violari imminuive debere, inter alia anno 1566. & 1609. ſanctiſſime denuò promiſerunt, quam ut tantò liberius & atrocius mercatoribus aliisque Regni Pruſſiæ Incolis, quarumcunque in Poloniarum Regno Urbium Cives ægre facere poſſent, & circa negotiationes quibuscunque vexationibus, oppresſionibus & injuriis pro lubitu illudere, imò omni tandem per Poloniam univerſam, & eò pertinentia Dominia, negotio in totum eos excludere, Pacta verò Publica, ſub quorum umbone Mercatores Regni Pruſſiæ liberi, tuti & ſecuri in negotiationibus ſuis ubivis locorum per Poloniarum Regnum omni tempore eſſe crediderunt & certò confiſi ſunt, inſtar naſi cerei, ut vulgo dici ſolet, auſu ſummè nefariô inflectere, cumque illis, ſacramento & ſanctitate illorum inſuper, proh DEum immortalem! habita, non aliter ferè ludere, quam ut pueri, quod proverbium fert, cum aſtragalis ſolent? Quid quod Dantiſci etiam Collegium Exercitorum & Naviculariorum, die Kahnen-Führer-Zunfft eodem plane, quo Cives Wilnenſes, Caunenſes & alii, temerario auſu, non veritum hactenus fuerit, à Sacræ Regiæ Majeſtatis Pruſſiæ, ex Præfecturâ Mariæ-Inſulanâ, Rieſenburgenſi & aliunde, negotiationis cauſa, Gedanum aquâ venientibus ſubditis atque Incolis, iniquisſimam Cenſuationem & Daciam ſub nomine pœnæ fluviaticæ, Strohm-Straffe/ab oneratâ nave duos florenos

renos Prutenicales, & à quovis Nautâ ſex groſſos capiendo, liberrimè quaſi exigere, cum tamen Pacta Perpetua de anno 1436. 1466. & 1529. expreſſe ſanciant, quod liber debeat eſſe tranſitus omnibus Mercatoribus & Incolis Terrarum atque Dominiorum Ordinis, cum ſuis Mercantiis & frumentis cujuscunque grani & rebus quibuscunque ſine impedimentô vel NB. Angariâ, per terras & NB. maria, aquas & flumina, quacunque aſcendendo &c. & deſcendendo &c. in navibus parvis ſive magnis, vacuis ſive oneratis, in perpetuum, quomodocunque & quotiescunque &c. quodque ut nulla nova telonea & depoſita, ſic nulla foralia, gabellæ vel NB. quæcunque aliæ Cenſuationes, mercatoribus in Regnum Poloniæ & Principatus atque Dominia Regni venientibus debeant de novô imponi aut imponi permitti, tam in terris quam in aquis. Et quamvis deſuper Magiſtratus Gedanenſis multoties jam requiſitus fuerit, Exercitores tamen & Navicularii Dantiſci Daciam exigere hactenus non deſierunt, ut non immeritò hic exclamare liceat:

Vid. Corp. Act. Publ. Pruſſ. fol. 11. fac. 1. fol. 24. fac. 2. & fol 41. fac. 2.

Quid facient Cives, audent ſi talia Nautæ?

Imò quæ jam Fœdera rata, firma, integra & perpetua manebunt, ſi hæc adeò providè concluſa, de tempore in tempus ſolenniter repetita, & toties quoties religioſiſſime jurata Pacta in ſummum *Sacræ Regiæ Majeſtatis & Regni Prusſiæ*, ejusdemque Commerciorum præjudicium, temerè concutiendi, nefariè infringendi, & impunè violandi, liberrima nullisque coërcitionibus reprimen-

da, iniquiſſima licentia, privatis jam quarumcunque in Regnô Poloniæ Urbium Civibus & Mercatoribus, prout cuique illorum in mentem venerit, pro lubitu concedetur?

§. XVIII.

Longè aliud verò à Wilnenſibus, Caunenſibus, aliisque ut Magni Ducatus Lithuaniæ, ita totius Poloniarum Regni, ejusque Urbium Mercatoribus & Civibus gratitudo, eamque reſpiciens naturalis æquitas, *cum nullum referenda gratia magis neceſſarium Officium ſit, & beneficium quidem dare in noſtrâ poteſtate conſiſtat, non reddere autem, bono viro non liceat*, Jure quaſi poſtulare videbatur.

Quantitas nimirum æris, quô præfati Regni Poloniarum ejusque Urbium Mercatores & Cives, Regiomontanis aliisque Regni Pruſſiæ Mercatoribus & Incolis, de generatione in generationem quaſi adſtricti ſunt, ad eam hactenus graviſſimam excrevit magnitudinem, ut non tantum per myriades numerari poſſit, ſed multi etiam Regni Pruſſiæ Mercatores, eorumque Hæredes, propter indies magis magisque in Regnô Poloniarum ceſſantem æris ejusmodi alieni ſolutionem, ad penuriam & ferè non ad egeſtatem ſe reductos eſſe, ſummum in modum conquerantur.

Hôc tamen non obſtante, tantùm abeſt, ut Regni Poloniarum & Urbium Ipſius Cives atque Mercatores (ad exemplum Servi iſtius Evangelici, qui cum ſolvere, quod debebat, non poſſet,

pa-

patientiam ſubmiſſe rogabat, & omnia ſe ſuô tempore ſoluturum obnixe pollicebatur) propitios ſaltem & juſtè faciles Regiomontanis, aliisque Regni Pruſſiæ Mercatoribus ac Incolis hactenus ſe exhibere ſategerint, & ea ad minimum, quæ Pacta permittunt, imò exigunt, amicè præſtiterint, ut potius, quantum in ipſis eſt, in hoc unicum quaſi, quò omni per Poloniam ejusque Ducatus & Dominia commercio, imò totô Poloniarum Regnô, Mercatores & Incolæ Regni Pruſſiæ, ſi vel ipſa Pacta deſuper temerare oporteat, in perpetuum excludantur, iniquiſſimè hujusque conſpiraverint, ac eô ipſô re & factô comprobaverint:

Quod beneficia eousq; læta ſunt, dum videntur exſolvi poſſe; ubi multum exceſſerint, pro gratiâ odium rependitur.

§. XIX.

A Sacrâ autem Regiâ Majeſtate, & Sereniſſimâ Reipublica Poloniarum, ingratiſſimum hunc, & propter manifeſtam Pactorum Publicorum violationem, non minus nefarium Mercatorum ac Civium, ut Caunenſium ſic Wilnenſium & aliorum conatum & auſum non approbatum, ſed ſeveriſſimis potius animadverſionibus repreſſum iri, & ſperat & indubitatè confidit *Sacra Regia Majeſtas Pruſſiæ*, cui creberrimè hactenus deſuper repetitas humillimas fideliſſimorum Regni ſui ſubditorum querelas & ſupplicationes æquiſſimè tandem ſtomachum moviſſe, nemini, qui propenſiſſimum *Regiæ Majeſtatis Pruſſiæ*, erga ſubditos affectum ſatis perſpectum

ctum habet, mirum videri poterit, *cum bonorum Principum, ceu Patrum Patriæ essentiale velut proprium, & altera quasi natura sit, Regnorum & Provinciarum calamitatibus tanquam suis illachrymari, & ad illatas subditis injurias, non secus ac ad proprias excandescere*; quamvis de cœtero ab optimè cognita *Sacræ Regiæ Majestatis & Serenissimæ Reipublicæ Poloniarum* religiosissima Pactorum Manutenentia, ac ab inviolabili, cultæ semper, cum *Sacrâ Regiâ Majestate Prussiæ, & Serenissimâ Electorali Brandenburgicâ Domô, antiquissimorum Poloniæ Fœderatorum jere non prima*, sinceræ amicitiæ observantia, super omnibus his, sæpius jam iteratis, iisque gravissimis, Mercatorum aliorumque inclyti Poloniarum Regni Civium exorbitantiis, satisfactionem ut promptissimam, ita perfectissimam, *Sacra Regia Majestas Prussiæ*, in desideratissimum Mercatorum aliorumque Regni sui subditorum levamen, ex votô sibi polliceatur, & propterea ut totum hoc negotium, ita reliqua quoque à præfatis Mercatoribus, super Commerciis Regni Prussiæ cum Regnô Poloniarum, humillimè exposita gravamina in *Sacræ Regiæ Majestatis, & Serenissimæ Reipublicæ Poloniarum gremium* amicè deponere, nullô modô vereatur.

§. XX.

Conqueruntur nimirum Mercatores & alii Regni Prussiæ Incolæ, eorumque Hæredes quartò, quod Debitoribus, quos oppido multos per totum vastissimum Poloniarum Regnum habent, merces suas, ut supra jam dictum, sub aliorum, maximè Magnatum & Nobilium Poloniæ, Ma- Grav. IV.

gnique Ducatus Lithuaniæ, partim ementitis, partim emendicatis, ac haud rarô pretiô quasi conductis nominibus & titulis, Regiomontum & aliò in Regnum Prussiæ terrâ aut aquâ devehere, atque defluitare, eôque evidentissimè fraudulentô modô Creditorum suorum, in petenda Debitorum solutione, justam per Regnum Prussiæ vigilantiam, cum irreparabili ferè totius Regni Prussiæ, ejusque Commerciorum damnô & detrimentô, per tot jam annos eludere, non liberè tantum concedatur, sed in ipsô etiam Poloniarum Regnô, Mercatoribus & aliis Regni Prussiæ Incolis, cum eò, prædictorum nominum exsolutionem petituri, non sine gravi sumptu veniunt, per varias protractiones & evocationes Processuum, intercessiones & protectiones, imò inscriptiones in litem, partim Clericorum, partim Magnatum, temerarias quoque Appellationes ad Tribunalia, imò inauditas ferè Decretorum per alia Decreta Cassationes aut repositiones, iniquissimas tandem Executionum limitationes, nedum elisiones, atque alias ejusmodi innumeras quasi vexationes & circumductiones, tantum molestiæ hinc indè suscitetur, ut tandem post deplorandam temporis & expensarum jacturam, vel litem omninò deserere, vel ad minimum, plus quam leoninam transactionem, pro mille florenis, vix quinquaginta, imò sæpissimè nec viginti aut decem accipiendo (ad instar illorum, quibus ex naufragio, quod proverbium fert, nil nisi tabulam, flebili planè ratione reportare licet) inire eos oporteat; cum tamen ubivis ferè locorum,

se-

ſecundum præſcriptum Juris , non tantum ex Commerciis orti proceſſus ſummarisſimi ſemper ſint, ſed in Cauſis etiam peregrinorum , propter competens eis Juris Hoſpitalitatis beneficium, quod vulgo das Gaſt-Recht & Polonice Goscinne prawo dicitur, de ſimplici & planô, ſine omni figurâ & ſtrepitu fori ordinarii procedere oporteat.

§. XXI.

Addunt Mercatores & alii Regni Pruſſiæ Incolæ quintò, commerciis ipſorum in Regnô Poloniarum, multum incommodi, damni & detrimenti inde accedere, quod ibi non tantum aſſignationum, cambiorum , & indè utrinque dependentium inter mercatores negotiationum nulla ratio habeatur, ſed etiam qualescunque, licet validiſſimæ literarum obligationes, nullum robur habeant, & pro nullis aut non ſcriptis reputentur , ſi charta, cui inſcriptæ ſunt, non reperiatur excisa quod Okientia vocant. Grav. V.

Tolerari hoc poſſet, ſi eas tantum obligationes reſpiceret , quæ in Poloniâ ſcribuntur; Hanc verò Regni Poloniarum conſuetudinem , ad Regnum Pruſſiæ quoque extendere, & propter defectum ejusmodi formalitatis , obligationes quæ Regiomonti, aut alibi in Regnô Pruſſiæ, Mercatoribus aliisque Contrahentibus, à Polonis dantur, irritas pronunciare velle , apertam iniquitatem ſapit , cum obligationes & Contractus quoscunque,

que, juxta ſtylum Curiæ ejus loci, in quô ſcribuntur, formare, Juris & Praxeos ſit.

§. XXII.

Grav. VI. Dolent tandem Regni Pruſſiæ Mercatores & Incolæ ſummum in modum ſextò, defluitationem per Memelam & Wiliam, propter innumera, quibus abundant flumina iſta, ſaxa, & multos ingentis magnitudinis truncos arborum, adeò difficilem eſſe, ut pericula inde metuenda quotannis fere creſcant, utque timendum ſit, deſituram tandem in eis navigationem, pereuntibus ibi quôvis anno ſat multis navigiis, non cum mercibus tantum, quas vehunt, ſed etiam cum hominibus, proh dolor, ad dirigenda ejusmodi navigia neceſſariis.

§. XXIII.

Et hæc quidem ſunt potiſſima, quæ ratione Commerciorum in Regno Poloniarum, ad *Sacram Regiam Majeſtatem Pruſſiæ*, Mercatores & alii ejus Regni Incolæ humillimè detulerunt, Gravamina; nam reliqua, ut ex his maximam partem fluunt, ita ſimulac his remedium afferetur, ipſa quoque per omnia protinus ceſſabunt.

§. XXIV.

Remedia verò præfatorum ſex Gravaminum, *Sacræ Regiæ Majeſtati & Sereniſſimæ Reipublicæ Poloniarum*, ex ſupplicibus Mercatorum, aliorumque

que Regni Prussiæ Incolarum libellis deprompta, à *Sacrâ Regiâ Majestate Prussiæ*, sequentia proponuntur.

I. Ante omnia Teloneorum per Regnum Poloniarum reductio, sine ulteriori morâ instituі debet, idque ea ratione, ut quæcunque per Majorem hactenus Poloniam, Lithuaniam & Prussiam Occidentalem, versus Regnum Prussiæ, aut noviter introducta vectigalia, aut eis superinducta teloneorum augmenta plenarie abrogentur; quâ super re publicatæ desuper anno superiori succinctæ Juris delineationi, *Sacra Regia Majestas Prussiæ*, iterum iterumque insistit. Remed. I.

§. XXV.

Ne vero ulterius Regni Prussiæ Mercatores & Incolæ simile quid, nec ullam amplius per Regnum Poloniarum à Teloneariis eorumque Officialibus injustam superexactionem, aut vexam quamcunque, ullô unquam in posterum tempore metuere opus habeant, maxime necessarium erit,

II. non tantum super solvendis quarumcunque mercium per totum Regnum Poloniarum vectigalibus, cum accurata mensuræ, numeri, ponderis, & ipsius pecuniæ ut determinatione, ita ad valorem monetæ in Regnô Prussiæ usitatæ reductione, Taxam telonеariam, Tariffam sive Licent-Tax vulgo dictam, Remed. II.

Polonice Tariffa albo Szacowanie towarow na Clo/ sed peculiarem etiam Instructionem & Ordinationem Teloneorum, Licent-Ordnung/ Polonice Postanowienie prawa Celnickiego y Instructia Celnikow/ ex cujus præscriptô Teloneorum Præfecti, in mercium visitatione, vectigalium exactione, & omnibus, quæ eo pertinent, ubique & omni tempore procedere, atque omnia agere debeant, gravissima in transgressores & contravenientes, aut quascunque superexactiones petere audentes, pœnâ, non pecuniariâ tantum, sed pro modô Excessus & delicti corporali etiam, aut alia expresse definita, in Latino, Polonicô, & Germanicô Idiomate typis publicare, inque Cameris Telonеariis, ut à quovis legi & allegari possint, expositas & appensas habere.

Jam quidem in antiquis Regni Poloniarum Constitutionibus extant Taxæ ejusmodi Teloneariæ & variè præscriptæ Teloneorum Officialibus super exercitio officii, hinc indè dispersæ leges; Eas autem colligere & moderno tempori accommodatas in legitimum ordinem redigere, ut necessarium, ita facillimum erit, sic tamen, ut melioris ordinis & observantiæ gratiâ, *Sacræ Regiæ Majestati Prussiæ*, tempestivè in antecessum communicentur. Quantum hæc res Commerciis ad unum omnibus & Regni Prussiæ, & Ipsius Regni Poloniarum commodi, utilitatis & emolumenti allatura sit, dici vix potest, ex eô autem sufficientissimè concludere licet,

licet, quod per ejusmodi Tariffas & ordinationes, imò per peculiares Commerciorum Tractatus, negotiationi florentisſimarum Provinciarum & Commerciis maximè celebrium Emporiorum, per Imperium Romano-Germanicum, Galliarum, Hiſpaniarum, Magnæ Britanniæ & Luſitaniæ Regna, Italiam etiam & Belgium, imò hoc tempore in Moſcoviâ quoq;, & apud Turcas ac Perſas, inque ipſis Indiis, quotidie ferè proſpiciatur, quemadmodum nuperrimè tantum, inter Regnum Galliæ & Civitates Hanſeaticas in ſpecie, ſolennis Commerciorum Tractatus Lutetiæ Pariſiorum concluſus fuit.

§. XXVI.

III. Et quoniam Commercia Regni Poloniarum cum Regnô Pruſſiæ, nullô modô florere & ſubſiſtere poterunt, quamdiu Mercatoribus aliisq; Regni Pruſſiæ Incolis, nomina per Poloniam & Lithuaniam eis debita, non tantum non ſolventur, ſed debitoribus etiam, ut juſtiſſimas, deſuper inſtitutas petitiones atque actiones tanto felicius elidere poſſint, merces ſuas, ſub aliorum nomine atque protectione, in Regnum Pruſſiæ invehere & defluitare, ac in Judiciis atque Tribunalibus Poloniæ & Lithuaniæ, per innumeras ſummè temerarias exceptiones & terminorum protractiones, lites occaſione Commerciorum & debitorum deſuper Remed. III.

per contractorum enatas immortales reddere, ipſas verò, Regiomonti, aut alibi in Regno Prusſiæ, ſuper ejusmodi debitis, ſcriptas obligationes, Apochas, recognitiones aut cambiorum literas, ſub prætextu deficientis inſcriptionis in chartâ exciſâ, quam in Polonia Oſientia vocant, irritas pronuntiare, iniquisſimè licebit: opus imprimis erit, hæc omnia debitis & ſufficientibus remediis in eum ordinem redigere, ut obligationibus, Asſignationibus, Inſcriptionibus atque Cambiis quibuſcunque, ritè & legitimè in Regnô Prusſiæ contractis ſcriptis & editis perfectum idemque robur, quo in Regno Prusſiæ, tanquam Inſtrumenta guarentigiata paratam ſemper Executionem habent, per totum Regnum Poloniarum maneat, & Proceſſus ſuper Commerciis ac occaſione illorum emergentes, modo ſummarisſimo per Poloniam, Lithuaniam, eoque pertinentes Provincias tractentur atque finiantur, Mercatores verò, & alii Regni Prusſiæ Incolæ, non tantum Jure Hoſpitum in litibus ſuis, per Regnum Poloniarum ubique gaudeant, ſed Jus quoque habeant, ab iis, qui ipſorum debitoribus, ut merces ſuas, ſecurè fallendis Creditoribus, Regiomontum & aliò in Regnum Prusſiæ defluitare ac invehere posſint, nomen & protectionem impertiuntur, ſimul ac id compertum fuerit, duplum, imò ſi iteratò id fiat, triplum & quadruplum debiti, cujus Solutio eâ ratione eluſa fuit, loco pœnæ exigendi;

quæ

quæ res ut debitè determinari possint, Statutum Commerciorum (eine Commercien-Ordnung/ Polonice Prawo Kupieckie:) per Regnum Poloniarum condere, & in ejus Emporiis, Judicium Mercantile (ein Commercien-Gericht) Polonice Sad Kupiecki instituere oportebit, ut ex ejus Statuti præscriptô, ubique in Causis Mercatorum de simplici & planô procedatur, & promta imprimis debitorum solutio omni meliori modô brevissimè promoveatur; quemadmodum jam suô desuper exemplô, *Sacra Regia Majestas Prussiæ* præivit, Collegio ejusmodi Mercantili (Commercien-Collegium nuncupati) Regiomonti solenniter introductô, & diversis Censoriis, Cambiorum, Navigiorum minorum (quorum usus est in exoneratione magnarum navium, quæq; Bordings vulgò dicuntur) aliisq; pluribus, in Commerciorum materiâ insignem utilitatem præbentibus legibus & Statutis eò fine publicatis; quæ ut Regnum Poloniarum tantò felicius imitari possit, peculiarem cum *Sacrâ Regiâ Majestate & Regno Prussiæ* Commerciorum Tractatum ad exemplum aliorum Regnorum inire, &

IV. Memelæ atque Wiliæ flumina à Saxis, arborum truncis, ac aliis pluribus impedimentis repurgare & liberare, eôque modô navigationem in illis & defluitationem tutam reddere, non abs re erit; quemadmodum ante aliquot annos, *Sacra Regia Majestas Prussiæ*, infra Civitatem Labiau, novam fossam per aliquot milliaria, immensis in id negotium erogatis pecunia- Remed. IV.

rum summis, maximô labore fieri curavit, nullô aliô fine, quam ut vere ac autumnô ex Magno Ducatu Lithuaniæ & Russiâ in Regnum Prussiæ venientia navigia, non amplius opus habeant, per Sinum Curonicum, das Curische-Haab/ & Polonicè Zatok Kurlandski dictum, summo cum periculo, sed per dictam novam fossam, Polonicè Nowy Okop pod miastem Labiau/ dictam, cum omnimodâ securitate descendere possint.

§. XXVII.

Remed. V. V. Tandem & ultimò supra-allēgatæ Violationes Pactorum contra spectabiles Hörnig, Awel, Saturgum, Nobilem itidem Polickein, aliosque à Caunensibus, Wilnensibus & aliis per Regnum Poloniarum ferè non quotidie, Dantisci etiam à Collegio Exercitorum & Naviculariorum, per injustam pœnæ ita dictæ fluviaticæ, der Strom-Straffe/ contra *Sacræ Regiæ Majestatis Prussiæ* Mariæ-Insulanos aliosque subditos & Incolas, iniquissimè introductam exactionem, hactenus commissas, severissimè vindicare oportet, ut & Interessatis, ratione damnorum, expensarum, & Injuriarum, & *Ipsi Sacræ Regiæ Majestati Prussiæ*, cujus maxime interest, Pacta nunquam & nullibi violari, per irrogatam ejusmodi Pactorum Violatoribus gravem ex merito pœnam, plenissimè satisfiat; Sic enim ut *animadversio desuper aliquorum*, eorum nempè, quorum hac in re culpa fuit, ità *exemplum & metus omnium erit*, nec facile inposterum quis-

quisquam Pactis Publicis contravenire, eaque ulterius infringere aut violare audebit.

§. XXVIII.

Si nihil aliud, hoc unicum certè *Sacram Regiam Majestatem* & *Serenißimam Rempublicam Poloniarum*, ad id impellere & permovere debet, quod evidentissimè advertunt, nihil *Sacræ Regiæ Majestati Prussiæ*, magis curæ cordique esse, quam sanctissimam Pactorum cum Regnô Poloniarum observantiam, quâ in re adeò religiosam se *Sacra Regia Majestas Prussiæ* exhibet, ut in puniendis Pactorum violationibus, nulli dignitati parcat; quemadmodum nuper tantum, cum generosus ab Auerswald, hortulanos suos ex prædiô Ober-Traupeln profugos, non viâ Juris repetiisset, sed ipse ex prædiô generosæ Semplaffskiæ, Wardengowô dictô, conquirere & abducere, irritô licet effectu conatus fuisset, adeò desuper *Sacra Regia Majestas Prussiæ* commota fuit, ut confestim præfatum generosum ab Auerswald, quamvis nobilem, Regiomontum adduci, & coram Judicio Aulico Criminali, actione Fiscali conveniri jusserit, non obstante, ipsam generosam Semplaffskiam, dum extraditionem prædictorum profugorum, legitimè desuper requisita, contra Pacta negavit, generoso ab Auerswald, ad id quod conatus fuit, sed exequi non potuit, audendum, causam quasi & occasionem præbuisse.

§. XXIX.

§. XXIX.

Plura ejusmodi allegari possent; ad evitandam verò prolixitatem, hoc adduxisse sufficiat, ut pari modô contra Caunensium, Wilnensium, aliorumque toties iteratam Pactorum transgressionem, *Sacræ Regiæ Majestati Prussiæ*, & Mercatoribus aliisque in ejus Regnô Incolis perfectè tandem satisfiat. Faciet eo ipso *Sacra Regia Majestas* & *Serenissima Respublica Poloniarum*, rem ut se dignam, ita Commerciis maxime utilem, & stabiliendæ inter Utrumque Regnum perpetuæ, DEO promovente, amicitiæ ante omnia inservientem. Quemadmodum enim *nihil arctius, commerciorum vinculo, gentes, imò homines ad unum omnes inter se sociare valet: ita fide Pactorum super Commerciis initorum nihil sanctius esse debet, fœdus humani generis quasi rumpente qui vel Commercia impedit, vel Pacta desuper conclusa quovis modô rumpit*; quod ne unquam inter utrumque Poloniarum & Prussiæ Regnum accidere possit, ut in instanti Universalium Regni Poloniæ Comitiorum reassumptione, DEO Authore, *Sacra Regia Majestas*, & *Serenissima Respublica Poloniarum*, summâ curâ summâque diligentiâ providere dignentur, denuò Eis *Sacra Regia Majestas Prussiæ*, ut instantissime, ita, quod Fœderatos facere decet, amicissime iterum iterumque commendat.

Publicat. d. 16. Decembris. 1719.